Pomorski Stanisław: Ewiecta de testamentis inter liberos.

~~2600 Prano.~~

QVÆSTIO
DE TESTAMENTIS INTER LIBEROS:

Quam

Præsidente Admodum Reuer: & Clariß: Domino,

D. IACOBO NAYMANOWIC, I.V. Doctore & Professore ORDINARIO, *Archidiacono Pilecensi, &c.*

M. STANISLAVS POMORSKI I.V. Professor, Collega DD. Iurisc. Collegij, pro Licentia in Vtroque Iure assequenda, publicè ad disputandum proponet;

In Collegio DD. Iurisperitorum, Die x. Decembr. Hora 7. Anno M. DC. XX.

PERMISSV M. D. RECTORIS.

CRACOVIÆ,
Ex Officina Andreæ Petricouij, S. R. M. Typographi.

IN ARMA

Reuerendißimi Domini,

D. THOMÆ OBORSKI.



Quàm benè conueniunt hæc Lilia candida sanctis
Moribus, OBORSCI *Præsul honore, tuis:*
Dicere difficile est, at verbo tangere fas est,
Lilium es, in templo, in Regno, in Auisq; tuis.

Reuerendißimo & Amplißs: Domino,

D. THOMÆ OBORSKI,

EPISCOPO LAODICENSI, SVFFRAGANEO ET CANONICO CRACOVIENSI, &c.

Domino & Fautori Obseruandissimo.

AB omni æuo, Reuerendiß: Domine, Deus Opt. Max. extare artes ingenuas voluit, velut Pharos & lucentes quosdam ignes in tempestuoso mari; extare inquam, voluit præcipuè IVRISPRVDENTIAM, *quæ nō ornamentum solùm Reipub. est, sed auxiliū & fulcrum. Tollito: quid nisi squallor & tenebræ occupant, & ferox quædam, aut verius vt dicam ferina vita? Hæc Homeri veriloquio*

Hos cœtus hominum soluit, iungitq; vicissim.
Hæc efficit, ne armorum ferriq; potestas
Confundat ius omne manu, sceleriq; nefando
Nomen sit virtus.

Hæc deniq; IVS SVVM CVIQVE TRIBVIT, *Deo cultum, Regibus obedientiam, Maioribus reuerentiam, Minoribus comitatem, oppreßis tutelam, du-*

bijs consilium, omnibus innocentiam; vel maximè illo arctißimo vinclo, quod de TESTAMENTIS ET VLTIMIS MORIENTIVM VOLVNTATIBVS *integrè & sanctè conseruandis, ex adyto ipsius depromitur. Reuera enim dum has inuiolatè custodit, tuetur, seruat; etiam genus humanum in amore & concordia inuincibili. Hinc & mihi Legũ & Iustitiæ sacraria ineunti, visum fas iusq́; V*LTIMAS MORIENTIVM VOLVNTATES TVERI; *præsertim cùm id maximè naturale videatur. Et facio: quia ecce Quæstionem huiusipsius rei indicẽ emitto, & Nomini Tuo meritißimo eam dedico. Si amor aut beneficia huc me vocant, hæc in Academiam nostrã crebra; & ille magnus ab affectu tuo in artes honestas, hoc æuo ab Aula, à Nobilitate, à purpura, ad scholas tantùm & mediam pullatamq́; turbam velut relegatas, ortus. Si dignitas aut virtus; vtraq́; ornatus es inter Gentis tuæ primos. Genus tibi Nobilißimum, & antiqua stirpe decorũ; Magnitudo animi, & prudẽtia eximia; & cuius vtriusq́; semper antea, & nunc in sublimi dignitate Episcopali, ac munere laborioso quidem, sed glorioso, specimen dedisti. Accedit; quia tu verus Mystes huic ipsi Diuæ sacrificas*

aßiduè

aßiduè & litas; & quidem in publico, Patriæ, & Ciuibus tuis auxiliator, ac tutor. Iasonas & Argonautas hodie videas, qui non ad Astræam, sed ad Medæam & auream pecudem nauigant; alia tibi mens. Diuinam nimirum illam virtutem in exequendo, sapientiam in decernendo, benignitatem omnibus consulendo, pia feliciq́; imitatione prosequeris, & velut iustitiæ vindex teipsum erga oppressos, egenos, pupillos, pietatis salutareq́; præbes perfugiū. Hæc Tua laus est, & in sedato animo vigor, maximarum rerum capax, quem rogo ad hæc etiam minuta, sed fortasse oblectantia, ab animo porrò serio, atq; in cultum Tui deuoto, profecta. Ego me Reuerendiß: & Amplißime Domine Tibi trado deuinctum virtutis Tuæ causâ, atq; supremū illud Numen veneror & rogo, vt Te Ecclesiæ suæ incolumē diu superesse patiatur. Datum ex Collegio DD. Iurisc. 7. Decembr. Anno 1620.

Reuerendiss: D. V.

æternùm deuotus

Stanislaus Pomorski, Collega Collegij DD. Iurisc.

QVÆSTIO

DE TESTAM: INTER LIBEROS.

Ad L. Hac Consultiss: §. Ex imperfecto.

C. De Testamentis.

Juncto c. Relatum. primo.

DE TESTAMENTIS ET VLTIMIS VOLVNTATIBVS.

V. Testamẽtum imperfectum factum, à Patre inter liberos, etiamsi liberi sint legitimati, dum imperfectio in Substantia Testamenti non sit, sustineri iure valeat; nec ne?

CONCLVSIO I.

Teſtamentum imperfectum factum à Patre inter liberos, iure ſuſtinetur.

COROLLARIA.

1. *Qui ſuccedunt ex Teſtamento imperfecto inter liberos, non ſuccedunt ab inteſtato.*

2. *Teſtamentum inter liberos imperfectum, clauſulam codicillarem vel vim eius continet.*

3. *Quæ ſolennitates aliàs in Teſtamento perfecto requiruntur, & quæ qualitates eius vetitæ; eæ in imperfecto nec requiruntur, nec, ſi vetitæ adhibeantur, illud vitiant. quò innumerabilia Teſtamentorum referri poſſunt.*

4. *Pater non poteſt per ciphras Teſtamentum inter liberos condere, potiſſimùm ſi ciphræ ſint in verbis diſpoſitiuis, & adſcriptione ſortium.*

5. *Nedùm in ſcriptis, ſed etiam nuncupatiuè, nec tantùm nuncupatiuè, ſed etiam nutibus, ſi teſtator*

ſtator ſit Mutus, Teſtamentum inter liberos validè fit; In ſcriptis verò quæcunq; ſcheda ſcripta vel ſubſcripta à Teſtatore ſufficit, dùm ea voluntas & factum eius conſtet.

CONCLVSIO II.

Teſtamentum imperfectum, vt fauore liberorum ſuſtinetur; ita liberorum perſonam non excedit.

COROLLARIA.

1. *Extraneus ſi in Teſtamento inter liberos adſcribatur, reſpectu eius Teſtamentum non ſubſiſtit; non vitiatur tamen per extranei ſcriptionem quoad liberos.*

2. *Liberorum nomine filios, filias, imo Nepotes, & alios deſcendentes contineri dubium non eſt.*

3. *An Pater, Mater à filio Teſtamento imperfecto inſtituti gaudeant priuilegijs inter liberos? Problema facio.*

4. Te-

4. *Testamentum imperfectum ad pias causas sustinetur fauore piæ causæ, alioq; Iure quàm ex dispositione L. Nostræ.*

5. *Legitimati succedunt ex imperfecto Patri, Naturales Matri; cæteros legibus magis atq; magis improbatos & notatos, reijcio.*

CONCLVSIO III.

Si defectus sit in Testamento essentialis, non subsistit illud factum inter liberos.

COROLLARIA.

1. *Defectus voluntatis in Testatore, extra omne dubium, Testamentum imperfectum inter liberos inualidum facit.*

2. *Si Pater animo testandi inter liberos inchoârit Testamentum, nec perfecerit; quia scilicet non ordinauit de aliqua portione bonorum, alioué legato, Testamentum ita imperfectum non sustineri arbitramur.*

3. Vo-

3. *Voluntas patris quamuis benè contineri valeat Testamento minùs solenni; si tamen in dubium vocetur, probari debet instrumento solenni.*

4. *Si pater filium existentem in potestate sua nec hæredem instituerit nec exhæredauerit, Testamentum inter liberos non subsistit.*

5. *Posse tamen Patrem Testamento inter liberos minùs vni, plus alteri filio dare: dummodo id titulo institutionis fiat, & in terminis Iuris, extra omnem difficultatem, credimus.*

Laus Deo, Virginiq; Matri.



Sub felicibus auſpicijs Admodũ Rñdi & Magnifici Dñi, D. IACOBI TVROBOYSKI, S. Theol: Licentiati, S. Floriani Decani, Præpoſiti SS. Omnium, Almæ Academiæ Cracouien: Generalis

RECTORIS.

Lex natae immutabile. Intellige quoad prima principia univers
communissima ut veritas semel, recta est semel, Quae sunt prima
principia communissima et in speculabilibus et in practicis sunt eadem
quoad rectitudinem et quoad notitiam, fallit in actibus ~~de~~
particularibus ex principiis deductis. Licet verum sit in actibus speculativis
libus

Leges prudenter et utiliter in Republica latae sunt abrogandae
non.